Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.

Wien, 1799

Quelle:
Copyright:

ματα Editionis tollenda foret utile. Ita in calce pro *vertatur præſumptio* pone *vereatur*. Adjacet clauſula: *Explicit expoſitio magiſtri Hugonis et prepoſiti* (quem fuiſſe negant) *ſancti Victoris ſuper primum librum Yerarchiarum. Finitus Anno gratie M°. CCC°. 43°. feria 2. Ante nativitatem domini.*

CCLXXIII.

R. 84 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 238. 4. maj. probe ſcriptus, ſed multis locis refectus, notis marginalibus adſperſus, et quondam *Conventus O. E. S. Aug.* dicti *S. Johannis de Carbonaria Neapoli*, ad quem devenerat ab *Ant. Seripando* fratre *Hieronymi* Card. ex eodem Ordine Viri celebris herede Bibliothecae *Auli Jani Parrhaſii* (Joh. Pauli Pariſii) *Conſentini*, complectitur *Q. Sept. Florentis Tertulliani Carthag.* a. Chr. 220. aut circiter vivis exemti Scripta, quae indicabimus. Initium facit *De Jona propheta carmen heroicum*, ad cujus calcem legas: *Finis verſuum* (105) *Tertulliani de Jona, quos ego Janus parrhaſius ex antiquiſſimo codice longobardis exarato literis exſcripſi: quam maxime licuit ex fide.* Itaque hi, et quod mox ſequetur, tardius *Codici* praefixa ſunt; obiit enim *Parrhaſius* Philologus egregius, de quo conſulendi *J. Nicius Erythr. Toppius* cum *Nicodemo*, *Baelius* &c. a. 1533. Objacet jam mihi Carmen iſtud *de Jona* in Edit. *Opp. Tertulliani Rigaltiana Venet.* 1744. p. 576. f. prolatum ex unico *P. Pithoei* Codice c. notis *Fr. Jureti*. Quantum vero e *Parrhaſiano* noſtro perfici poſſit, ſpecimine oſtendam:

	Editio	Codex
V. 4.	*facti mortem maris*	*tacti mortem maris.*
7.	*juſtique fines*	*juſtique viam.*
13.	*anguſta mente*	*auguſta mente.*
16.	*et debita cedere poenae*	*et dicta cedere poena.*
24.	*Urbs ora eſt — Joppen*	*Urbs oras — Joppe.*
25.	*Rate ſcandit*	*Rate poſcit.*
26.	*fert acta Deus*	*Per ſigna Dei.*
30.	*globus pariter*	*globum pariens.*
34.	*Nequicquam medios*	*Nec quicquam medium eſt.*
39.	*concuſſa eſt ſpina carinae, Palpitat antenna ſtridens* &c.	*Concuſſae ſpina carinae Palpitat. Antennae ſtridens* &c.

Sed ſatis pro inſtituto meo, qui non niſi indicem ago. Unum tamen ſilentio praeterire nequeo, non vidiſſe *Juretum* medelam ultimis a fine verſibus adponendam; ita enim Edita:

Inter